AVREA MARGARITA AC PENE DIVINA

D. Alberti Galeotti Parmenſis, I.C. Clariſsimi,

IN QVA FREQVENTIORES IN foro & praxi occurrentes quæſtiones proponuntur, & diligenter pertractantur.

Præter diligentem recognitionem D. Brunori à Sole Acceſserunt Summaria & Index rerum memorabilium copioſus.

SEORSVM EXCVSI

[redacted]

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Coll. Soc. Jesu Salm. ex dono Regum.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum, ſub Monocerote.
ANNO M. D. XCV.
Cum priuilegio Cæſ. Maieſt. ad ſexennium.

TYPOGRAPHVS

Candido Lectori, S.

NVltiplicem vtilitatē Aureæ Margaritæ D. Alberti Galeotti conſideranti, certò mihi perſuaſi, rem non minus gratam, quàm vtilem Legum Candidatis me facturum, quibus me iamdudum voui totum, ſi eam ſub incudem reuocarem, præſertim cum pridem nulla exemplaria venalia proſtitiſſe, & quamplurimum efflagitari intellexerim. Hac igitur Margarita interim vtere & fruere, dum Deo Opt. Max. iuuante, alia non minoris commodi, & vtilitatis procurem.

Vale.

AVREA MARGARITA D. ALBERTI GALEOTTI.

PROOEMIVM.

In quo proponit, ſuam intentionem declarat, & ſe excuſat.

CVM ego Albertus Galeotti ll. Doctor Parmenſis eſſem Mutinæ in ſtudio cõſtitutus, & eſſem à ſocijs meis ſæpiſſimè rogatus, vt quandam ſummulam de quæſtionibus in Iure facerem ad perennem memoriam, vt C. de quęſt. l. Diuo Marco, in fin. volens ipſorum iuſtas preces exaudire; vt ff. de ſeruit. ruſtic. prædio. l. Attilicinius. Ideò præſentem ſummulam quæſtionum tam ex quæſtionibus in gloſulis ordinarijs poſitis, quàm in extraordinarijs quas ex facto vidi, duxi breuiter componendam, & ſi quid ibi inueniatur minus perfectè poſitum, veniam poſtulo à Lectore, quia omnium habere memoriam diuinitatis potius eſt quàm humanitatis, vt C. de veteri iur. enucl. l. 2. §. primum quidem.

CAPVT I.

De Procuratoribus, eorum officio, & qui conſtitui, & conſtituere poſſint.

SVMMARIA.

1 *Mandatum ſpeciale, in quibus caſibus deſideretur.*

2 *Procurator an debeat præciſè defendere.*